affirmatur autem ab eodem in iſto verſu *feciſſe cœlum, & terram*. Denique ſcribit Irenæus *a*, facere proprium eſſe A
a ibi d.c.75 benignitatis Dei, fieri autem proprium hominis naturæ. Dicere potuit omnis natura, quæ non eſt Deus; quemadmodum prior id aſſeruerat Philo *b*, ἴδιον μὲν θεοῦ τὸ ποιεῖν ὃ οὐ θέμις ἐπιγράψασθαι γενητῷ, *propriū certe Dei facere quod nefas eſt aſcribere rei factæ ſeu creaturæ*.
b de Cain. Ceterum ſicut pſalmo 120. docui ex auxilio noſtro quod ſit à Domino, rectè nos gratiæ colligere neceſſitatem, ita hìc monendum eodem teſtimonio & præſenti, ac ſimilibus abuti noſtri temporis hæreticos contra ſanctorum invocationem, quaſi a ſolo Domino ſit implorandum auxilium, & adjutorium, ſoli Deo fidendum, ab ipſo tantum petenda omnia. Primarius omnis boni fons, & cauſſa Deus eſt, ſoluſque per ſe dat gratiam, & gloriam; Sancti coadjuvant ſecundario, & in his Deus potentiam atque munificentiam, & gloriam ſuam declarat, eorum opera utendo in ſalute noſtra procuranda. Uſurpat libenter Eccleſia iſtum verſiculum, ut ad officium primæ, & quidem bis diverſis vicibus, quando præces dicuntur; quotidie etiam ad Completorium, ante confeſſionem, & ante eamdem in Miſſa: ab Epiſcopis præterea recitatur in Miſſa ante B ultimam benedictionem; & in aliis ſolemnibus benedictionibus, ſed ante non raro præcedit, *ſit nomen Domini benedictum*, &c. item à Sacerdotibus benedicentibus aquam, & alia. In fine pſalmi 133. ſic eſt; *Benedicat tibi Dominus ex Sion, qui fecit cœlum, & terram*.

Adjutorium noſtrum in nomine Domini) Synonymè dixit Hieronymus *auxilium*, quo interpres uſus eſt pſ. 120.
c verſ. 1 & 2 c. Idem utrobique Hebræum nomen עזר *hhezer*, & Græcum βοήθεια. Chaldaicè hoc loco eſt, ut dixi, *adjutoriū noſtrum in nomine verbi Domini*, vel *verbi Dei noſtri*, & in textu quidem Nebienſis eſt יהוה *jehovah* in textu autem Regiorum Bibliorum אלהא *eolah*.

Qui fecit cœlum, & terram) Fortaſſis imitatur Eccleſia, adhibens in ſuis benedictionibus formulam iſtam, Regem ac Sacerdotem Melchiſedechum, qui prius legitur benedixiſſe conceptis hiſce verbis; *Benedictus* d,
d Gen. 14. 19 *Abraham Deo excelſo, qui creavit cœlum, & terram*. Sed, & Abraham jurans, *levare ſe manum* affirmavit *ad Dominum Deum excelſum, poſſeſſorem cœli, & terræ* e.
e verſ. 27 *Poſſidentem*, aut *poſſeſſorem*, valet קנה *Koneh*, licet Grecè ſit ὃς ἔκτισε *qui creavit*, pro ἐκτήσατο *poſſedit*: C ſicut & priore loco, ubi tamen interpres vertit per verbum *creavit*, quod iiſdem vocabulis dicitur Hebræo & Græco, quæ hoc loco habentur.

PSALMUS

CENTESIMUS VIGESIMUS QUARTUS.

Canticum graduum.

1. QUi confidunt in Domino, ſicut mons Sion: non commovebitur in æternum, qui habitat. 2. in Jeruſalem.

Montes in circuitu ejus, & Dominus in circuitu populi ſui, ex hoc nunc & uſque in ſæculum. D

3. Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum: ut non extendant juſti ad iniquitatem manus ſuas.

4. Benefac Domine bonis, & rectis corde.

5. Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax ſuper Iſrael.

Titulus, & Argumentum.

Canticum graduum.

Argumentū SUB communi cantici graduum titulo, canticum hoc pſalmuſque continet optimum conſilium aſcendentibus de captivitate, vel aſcenſuris, ut nullo modo titubent, vacillent, commoveantur circa ſpem, ac fiduciam in Deum, ſed hanc in eo totam certo, tutoque collocent, certi quod ille potentiſſimus, & fideliſſimus numquam fruſtrabitur, confundet, deſeret ſperantes in ſe. Et quamvis ad tempus permiſerit, ac interdum permittat juſtos ab improbis vexari, tamen hos comprimere, ne illi ſupra vires afflicti excidant à juſtitia. Simul prædicit oppreſſores pauperum, & vanos idolorum cultores pœna captivitatis, qua alios affecerant, afficiendos. Denique ſublatis hujuſmodi hominibus, populum Iſrael tranquilla pace fruiturum. Præterea, ut à Trevero notatum eſt, commendatur hìc divina juſtitia, quæ & in ſe confidentes ſupportat, & malorum merita, ſeu demerita juſte recompenſat. Conveniunt eadem cujus juſto confidenti in Domino, intraque Eccleſiam habitanti, tùm militantem, tùm triumphantem, quarum Sion & Jeruſalem typi quidam erant; & de quibus, ac de populo illo vetere in pſalmo iſto agi non negaverim, cum Lyrano, Ayguano, Valentia, & aliis. Multo minus concedendum puto, quod Cajetanus, Placiduſque volunt, poſtquam David Sionem montem, atque conſtructam in eo civitatem Jeruſalem conſtruxiſſet, ac munivitſſet, allarum civitatum habitatores conqueſtos, quod illam nimio quodam ſtudio munire ſtuduiſſe, de ceteris parum curaſſet; unde fieret, ut hoſtium paterent inſidiis, atque incurſationibus: Davidem vero in iſto pſalmo querelis illorum occurrere, & hortari, ut in Domino confidant, nec dubitent ſe non minus ubiq; ſecuros fore, quā eſſet mons Sion ſecurus, civitaſque Jeroſolymitana. Sed & parum probabile cenſeo, quod aſſerit Valentia, recitatum pſalmum iſtum in ſexto Templi gradu, ex quo tunc primum dumtaxat cernere licuerit circumquaque, & in circuitu civitatis, & muros illius, quamque valide munita eſſet. Nec tunc libere poterat proſpectus eſſe ad omnem partem, & ante ſcanſionem primi quoque gradus Templi, in ſuperiore parte montis, quæ dicebatur *Moria*, licuit commodius circumſpicere arcem Sion, & inferiorem Jeruſalem. Annumerat Athanaſius hunc pſalmum his, qui ſunt διαγράφοντες τὸν ἐνάρετον βίον, *deſcribentes vitam, quæ cum virtute tranſigitur*.

Verſ. 1.) Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion, non commovebitur in æternum, qui habitat.
Verſ. 2.) In Jeruſalem.

Montes in circuitu ejus, & Dominus in circuitu populi ſui, ex hoc nunc, & uſque in ſæculum.

Senſus loci CAuſſa, cur in captivitatem populus abductus fuerat, fuit, quia fiducia in Deum verum abjecta, confugerat ad idola, ſpemque collocaverat in humanis, terreniſque auxiliis, præſidiis, opibus, viribus, potentia, armis. Ait ergo nunc Propheta ſub perſona iſtorum, qui reſipuerunt; & Dei, ad quem converſi ſunt, beneficio redierunt, vel jamjam redituri erant ex captivitate, non eſſe quod ſimilem deinceps captivitatem, calamitatemq; vereantur, vel amplius civitatis Jeroſolymitanæ timeant excidium, dummodo firmi perſeverent, conſtanteſq; ac veluti habitantes in adjutorio Altiſſimi *f*, ſicut habitant,
f pſ. 90. 1 moxq; habitaturi ſunt in Jeruſalem. Nam quemadmodū fixus ſtat, immobiliſq; mons Sion, & ſpatium, in quo condita erat Jeruſalem, ambiunt montes in quibus fundamenta illius ſunt, quamvis ædificia diruta ſit ab hoſtibus; ita *ſperantē in Domino miſericordia ipſius circūdabit*, g, &
g pſ. 31. 10
h pſ. 9. 5 *ſcuto veritas h*, ideſt, veracitas, fidelitaſque promiſſa protectionis his, qui confidunt in eo; ita ut facilius ſit loco moveri Sionem & alios montes, qui vallant & muniūt Jeruſalem, quam nutare & facillare, locove moveri illos, qui ſpe divina nitantur. Juſtus quippe *in æternum non cōmovebitur, impii autem non habitabunt ſuper terrā i*, ſed
i Prov. 10. 30 *evellet eos Deus, & emigrabit eos de tabernaculo ſuo, & radicem*

dicem eorum de terra viventium a. Eſt nimirum *ſpes animæ anchora tuta, ac firma* b, & *nomen Domini turris fortiſſima, ad quod currens juſtus exaltatur c*, & quaſi in edito, atque munito loco conſtituitur. Verum quia civitas Jeroſolymitana à Nabuchodonoſor ſemel exciſa eſt, iterumq; à Tito, multoties etiam impugnata, ex parte deſtructa, Catholici Enarratores fere declarant de Jeruſalem ſpirituali, ſcilicet, tùm de Eccleſia militāte, cui Chriſtus pollicitus eſt firmitatem ac Soliditatem petræ; ita ut *portæ inferi prævalere non poſſent adverſus eam d*: appellavitq; *civitatē ſupra montem poſitam e*, tùm de triumphante, quam Joannes *f*, vidit *velut civitatem*: Pauluſq; *g*, velut *fundamenta habentem* deſcripſit, *cuius artifex & conditor Deus* Qui perſtiterint in iſtis Eccleſiis, non commovebuntur, & quidem in triumphante qui ſunt, ſine dubio in ipſa perſiſtunt, nec numquam commovebuntur: qui in militante, per eōs ſtabit, ſi non perſtiterint, aut ſi commoti fuerint. Montes in circuitu Sionis, quæ *ſpeculum* ſignificat, & Jeruſalem, quæ *pacis viſionem*, ut pro militante ſumitur Eccleſia: (utrumq; alibi de hoc ipſo loco docet Hieronym. *h*, ideſt, de nominis Etymologia, deque Eccleſia) vel etiam Sion pro Chriſto, in quo con- B fidere debemus, & in illa propter iſtum, aſſignant Sanctorum ſuffragia, documenta, exempla; tutelam Angelorum, præſidia Scripturarum, Sacramentorum munimenta, dona, & gratias, Spiritus ſancti, & gratum facientes, & gratis datas, peculiarem providentiam Dei etiam per ſubſidia externa. Qui Catholicam fidem tenens, ait Arnob. confidit, non commovebitur in æternum, nulla ſecta, nulla hæreſis, nullus diſputator eum à recti tenore detorquet. Jeruſalem cæleſtem circundant, & ornant montes, multiplices ordines beatorum Angelorum, hominumque. De hac una ſola communior expoſitio, quoque idem valeant *Sion, & Jeruſalem*: ſint autem, qui confidunt in Domino, ſimiles utrique in hoc, quod non commoveantur. Id Apollinarius cecinit hoc modo;

a pſ. 58. 7.
b Hebr. 6. 19.
c Prov. 18. 10
d Matt. 16. 18
e cap. 5. 14.
f Apoc. 21. 12
g Hebr. 11. 10
h in Eſa. c. 22

Οὔρει ἀθανάτῳ μίσγοντο σιῶνος ὁμοῖοι
Οὐχ ἱερουσαλὴμ ναίετην κλόνος αἰνὸς ἱκάνοι
Monti immortali fidentes Sioni ſimiles,
Non Jeroſolymæ incolam turbatio gravis occupet.

Et valde communi porro expoſitione de Sanctorum cu C ſtodia & interceſſione, argumentum ſumi poteſt adverſus Hagiomachos: præterea quoniam R. Akiba *i* per hos montes intelligi voluit veteres Patres, ut & per colles matres illas ſanctas Rebeccam, Rachelem, Annam, &c. precantes, ac intercedentes apud Deum pro cuſtodia ſanctæ civitatis. Sic Jeremias jam mortuus ſcribitur multum oraſſe pro populo, & univerſa ſancta civitate K. Auguſtinus alibi *l*, adhuc de Angelis cuſtodibus explicat, nec non Bernardus *m*. Non videntur ſenſum aſſequuti, etiam myſticè agendo, exponentes, *n* qui confidunt in Domino ea fiducia, qua confidit hujus temporis Eccleſia, ita ut hunc fiduciæ referat fructum quoniam habitabit in Jeruſalem ſuperna, ubi non commovebitur, nec à beatitudine poterit excidere.

i in l. Otiot. ad litte. ס ſamech
K 2. Machab. 15. 14
l ſoliloq. c. 27
m ſerm. 15. in pſ. 50
n Janſenius.

Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion, non commovebitur.) Hieronymi translatio hæc omnia connectit, *qui confidunt in Domino, quaſi mons Sion immobilis*: videlicet erunt immobiles, ut mons Sion eſt immobilis: & proſequentibus, *in æternum qui habitat*: quæ ſimul etiam conjungit, reddit, *in æternum habitabit*: nempe D vel unuſquiſque confidentium in Domino, qui erunt immobiles inſtar Sionis, in æternum habitabit: vel erunt immobiles, quemadmodum Sion qui Sion in æternum habitabit, hoc eſt, in ſuo ſtabit loco, quamdiu durabit mundus iſte. Non eſt inſolens, ut *habitandi* verbum dicatur de aliis rebus, quam de hominibus, animalibus, Deo: ut de gloria Domini *o*, hoc eſt, de arca: item de nomine Domini *p*: præterea diſerte de arca ipſa *q*: de luce *r*; de diluvio *ſ*. Sed & Hebræum verbum ישב *jaſcau* redditur interdum per verbum *permanendi*: ut; *Tu t, autem in æternum permanes*. Alii quoque vertentes ex Hebræo, interpretantur, quod *qui confidunt in Domino; ſunt ut mons Sion, qui non commovetur*, vel *nutat, ſed in ſæculum permanet, quieſcit, manet ſtabilis, numquam tollitur de loco ſuo*. Eodem pacto Chaldæus Paraphraſtes, *juſti, qui confidunt in verbo Domini, ſunt ſicut mons Sion, qui non commovebitur in æternum habitandus*, ſive *in æternum habitabitur*. Eleganti Gallico carmine id quidam *u* cecinit.

o Exod. 24. 16
p Deut. 16. 2. 6. 11
q 2. Reg. c. 6. 11
r Job. 38. 19
ſ Pſ. 28. 10
t Pſ. 101. 28
u Philip des Portes.

Qui a' un ferme courage au Seigneur ſe confie,
Ne vacile non plus, durant s'affliction,
Que le mont de Sion,
Qui ſans jamais branler, les orages defie.

Aliter LXX. noſterq; illos ſequutus Interpres, voluerunt ſignificare quod *qui confidunt in Domino*, (ſive *in Dominum*, εἰς κύριον *ſicut mons Sion*, videlicet, non ſicut ille confidit, ſed erunt ipſi ſimiles infirmitate, ac immobilitate: & non commovebitur ullus eorum, qui habitat in Jeruſalem in æternum, ideſt, nullus inde numquā abſtrahetur. Quod litteraliter intelligi debet, ſi nō amiſerit confidentiam illam ſuam: myſticè eodem fere modo; ſi quod attinet ad hanc vitam, & militantem Eccleſiā, faciat, quod in ſe eſt, ne amittat fidem & gratiam, per quam intra ipſam eſt numero, ac merito: & quod ad triumphantem ſpectat, ſimpliciter, & abſolute. Non poteſt ὁ κατοικῶν articulus cum participio maſculino referri ὄρος nomen neutri generis, *montē* ſignificans; quamvis pronomen Latinum *qui*, poſſet ad montem Sion, illo ſenſu, quo Hebraizantes dixi exponere, quod *mons Sion in æternū habitet*, B ideſt, perſtet, ac permaneat. De varia montis notione tùm bona, tùm mala, egimus alias; eaſq; Gregor. *x*, etiam affert, volens hìc, quod alios Enarratores velle dixi, ſumi *montē Sion* pro Eccleſia; & per *Sion*, qui ſignificat *ſpeculationē*, figurari Eccleſiam, quæ contemplatur Deum. Sed quod ad ſpei firmitatem attinet, ea rectè comparatur cum immobili monte, ſicut & cum anchora, turriq; ut ante dixi. Hortatur Auctor Eccleſiaſtici *y*, non manere in operibus peccatoris, Græcè, μὴ θαυμάζειν, *non mirari, cōfidere autē in Deo, manere in loco ſuo*: Græcè ἐν πόνῳ, *in labore*; facile enim eſſe in oculis Dei ſubito honeſtare pauperem. *Sperāt in Domino qui noverūt nomē ejus* z. quod eſt, יהוה *Jehovah*, ab eſſentiæ immutabilitate; quoniam ipſe dixit de ſe a. *Ego ſum, qui ſum*. Sæpius præterea nominatur Deus צור *tſur*, à petræ, aut à rupis ſoliditate. Id ſibi quoque voluit *Altiſſimi* epithetum in ſimili ſententia *b*. *Rex ſperat in Domino, & in miſericordia Altiſſimi non commovebitur*. Echinum nos imitari oportet, qui ſævitiam maris præſagiens, arreptis lapidibus operit ſeſe, ut volubilitatem ſtabiliat ponderis, ne nimia volutatione atteras ſpinas *c*, vel calculum validum arripiens ve- C lut ſaburram vehit, & tamquam anchoram trahit, ne excutiatur fluctibus; non ſuis ſe liberat viribus, ſed alieno ſtabilit, & regit pondere *d*. Merito igitur priore pſalmo, *e*, gratias Deo agebat Propheta, quod *torrentē pertranſiviſſet anima ipſius*; & forſitan verbis pſalmi hujus indicat cauſſam adeo fœlicis quaſi navigationis, vita teq; intolerabilis aquæ, fiduciam, & confidentiam in hac tamquam petra, lapideve adjutorii *f* qui eſt Deus; & quod ſic firmiter ſperando, ſimilem ſe monti Sion reddiderit. Quemadmodum, ait Chriſoſt. hoc loco, etiamſi quis innumerabiles adhibeat machinas, montem nec convellere, nec labefactere poterit; ita etiam qui eum aggreditur, qui ſpem in Deum collocavit, revertetur domum vacuis manibus: monte enim longe eſt tutior ſpes in Deum firma, conſtans invincibilis, inexpugnabili Ariſtoteles *g*, aſſerit πεποιθότας eſſe, ideſt, *confidentes*, & θαρραλέους quod idem valet ſi, τὰ πρὸς θεοὺς αὐτοῖς καλῶς ἔχῃ τά τε ἄλλα καὶ τὰ ἀπὸ σημείων, καὶ λογίων *quæ ad deos pertinent, ipſis egregie ſe habebant, & alia, tùm quæ ſunt à ſignis, tùm quæ ab oraculis*: denique quod τὸ θεῖον ὑπολαμβάνεται βοηθεῖν τοῖς ἀδικουμένοις *numen exiſtimatur iis auxiliari, qui patiuntur injuriam*.

x 33 moral cap. 1.
y cap. 11. 22 23
z Pſ. 9. 21
a Exod. 3. 14
b Pſ. 20. 8
Echini proprietas ſævitiam maris præſagientis.
c Plin. lib. 9. cap. 31.
d Ambroſ. 5 hexam. c. 9. Baſil. hexam homil. 7
e verſ. 5.
f 1. Reg. 4. 1. cap. 51. cap. 7 11
g 1. Rhet. c. 5

D *Nō commovebitur in æternū*) Jam monui de alia translatione ex Hebræo *quaſi mons Sion immobilis*: & referendo ad id, quod ſequitur, *in æternū habitabit*, nempe vel mons Sion, vel quivis ex iis, qui confidunt in Domino; & ſunt ſimiles monti Sioni. Refert Chryſoſt. alium Græcè tranſtuliſſe, nectendo ita ſequentibus. Hic Symmachus eſt, qui Sionem montem intellexit habitare immobiliter circa Jeruſalem ὡς τὸ ὄρος σιὼν ἀμετάτρεπτον εἰς τὸν αἰῶνα οἰκητευόντος ἱερουσαλήμ, *ſicut mons Sion, qui verti, aut decidere non poteſt, ac in æternum habitat circa Jeruſalē*. Quid ſit non commoveri eum, vel qui ſperat in Domino vel jam pervenit ad locum beatitudinis, præter illa, quæ paullo ante dixi, lege dicta in pſ. 14. *h*. *Qui facit hæc, non cōmovebit ur in ætrnū*; & n. 20. *i* citatis prius verbis, *Rex ſperat in Domino, & in miſericordia Altiſſimi nō cōmovebitur*

h verſ. ult.
i verſ. 6.

Qui habitat in Jeruſalem.) Melior conſtructio iſta ſpectans non ad montem Sion, qui dicatur habitare in æternum; & nova ſit ſententia, incipiens à nomine *Jeruſalem*, cum his, quæ ſequuntur, omiſſa præpoſitione ante illam:

quàvis non male cohærere poſſit ſenſus eo modo, quo dixi. Græcè ὁ κατοικῶν non poteſt referri ad ὄρος neutri generis: ſed ſignificatur juxta Græcam translationem, & noſtram, quo quiſquis confidit in Domino, ſicut mons Sion immobilis erit, & non commovebitur qui habitat in Jeruſalem: quemadmodum nec ipſa, quæ idem eſt cum Sione; vel per hunc deſcribi ſolet, non commovebitur, ſi perſeverent habitatores in ſua erga Dominum confidẽtia. Non infrequens divinis litteris, ut Gregorius *a*, advertit, ab uno numero tranſire ad alium. Demonſtrat in Cantapetrenſis *b*, aliorum Patrum, atq; Scripturæ locorum teſtimoniis, inter quæ præſentem profert. Apud Auguſt. in ſpeculo legitur, *immobilis, in æternum inhabitabilis Jeruſalem*: ubi videtur ultima compoſita vox idẽ valere, quod ſimplex *habitabilis*, & ipſi Jeruſalem tribuitur. Miſticè quo pacto id intelligatur de juſto, quamdiu hìc in Jeruſalem Eccleſiæ militantis (de qua Chryſoſt. alio loco *c*,) vivit, multo autem melius, poſtquam pervenit ad illam cœleſtem, ac triumphantem, de qua Hieronym. alibi *d*, ſatis antea demonſtravimus. *Qui ex Deo natus eſt, ac ſemen in ſe retinet, non peccat e*, quantum eſt ex vi nativitatis, & ſeminis ſpiritualis. Quemadmodum qui *in omnibus operibus ſuis memoratur noviſſima ſua f, in æternum non peccat.* Quod in ſe eſt, Deus *non dat in æternum fluctuationem juſto g.* Inconcuſſa manet Eccleſia, ut Cyrillus Alexandrinus *h*, ratiocinatur, hæc ipſa pſalmi verba uſurpans, & juxta vocem Salvatoris *i*, *portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*: ipſum qui pro fundamento habet. Neceſſe eſt igitur omnino, ut etiam inconcuſſi, & immobiles ſint qui eam inhabitant: & in populo ejus reputantur, & legitimus ejus, τοῖς γνησίοις accenſentur. Sed numquam commoveri ab hoc ſtatu, quam confirmationem in gratia vocant, paucorum eſt: ita ut *donec deficiant non recedant ab innocentia ſua K, nec mors, vita, ullave alia res poſſit eos ſeparare à charitate Dei l.* Prædeſtinatus non commovetur in æternum, quia ſi quando per peccatum excidit à gratia, id non eſt in æternum, ſed tantum ad tempus. Theophilus Alexandrinus *m*, intelligens de habitatione in cęleſti Jeruſalem refellit Originem qui ſenſiſſe dicitur, eos, qui regnant in cœlo, inde aliquando corrituros.

Montes in circuitu ejus.) Hieron. & alii ex Hebræo convertentes, ordiendo novam ſententiam à nomine *Jeruſalem*, abſq; præpoſitione, quæ etiam abeſt à textu Hebræo & Græco, ſic exponunt, *Jeruſalem montes in circuitu ejus*, ideſt, civitatem Jeruſalem circundant montes; ita ut ſit antecedens cum ſuo relativo, quod ſimplicius diceretur, *montes in circuitu Jeruſalem.* Nec poteſt referri ad eum, qui habitat in Jeruſalem, quia pronomen *ejus*, eſt fœminini generis, Græcè αὐτῆς Hebraicè לה *lah*. Sæpe vidimus montium in medio conditam Jeruſalem, nempe ſupra Sionem & Moriam, ultra Bezetam, & duplicem Acram, quæ & Salem in inferiore civitatis parte; ac *fundamenta ejus in montibus fuiſſe n*; proptereaque tendentes ad eam, dictos aſcendere. Propinquiores ipſi montes erant ab Oriente mons Olivarum, itinere ſabbati *o*, ſanctus & inclytus, ac in tres diviſus colles, valle Cedron inter jacente, unde cerni plateæ civitatis poterant, ac mare quoque mortuum: verſus Auſtrum *mons offenſionis p*, ubi Salomon fanum conſtruens idolis in gratiam uxorem graviter Deum offenderat, ad portam meridionalem collis Aceldoma, celebris *agro ſanguinis q*, illi adjacet Eroge meridionalis mons, vergens nonnihil ad Occidentẽ: ab Occidente verſus portã Judiciariã ſenſim decreſcens, profundaq; valle ab Urbe diſcretus, mons Sion ſaxoſus, altus, oblongus: inter Occidentem, & Septentrionem petroſus, ac mediocriter altus Golgatha, ſive Calvarię mons, aliter Goatha, vel Gabatha, in quo rei plectebantur; Mons Septentrionalis, ac in Urbis ſeptentrionali parte collis Gareb. Qua de re topographi terræ ſanctæ, & præſertim Villanpandus noſter *r*, & Salmeron *ſ*.

Et Dominus in circuitu populi ſui.) Chaldaicè, *& majeſtas Dominus*, &c. Chriſto tribuitur majeſtas *t*, Particula, *&* habet vim comparationis ſive adæquationis, vel incrementi, ideſt, ſicut civitatem circundat, & muniunt montes, ita & multo magis, Deus populum ſuum. *Ipſe murus, & antemurale u, murus ignis in circuitu, & in gloria (in gloriam εἰς δόξαν, לכבוד lechauod) in medio Jeruſalem, x. Montes in circuitu Jeruſalem*, ideſt, Angeli, ſed parũ hoc, ait Bernardo *y*, immo nihil foret, ſi non etiã Dominus eſſet in circuitu populi ſui. Exprobrat Deus deſtruentibus domos ad muniendum civitatis murum *z*, quum in illum unum potius civitatis, atq; murorum conditorem intueri decuiſſet, ut Procopius obſervat *a*, qui nimirum canitur hoc loc eſſe in circuitu populi ſui, & apud Zachariam *b*, ut modo dixi, *murus ignis* Immittit quidem *Deus in circuitu timentium eum c.* Angelorum caſtra, ſed ipſemet in circuitu eſt, ac medius conſiſtit; & *niſi cuſtodiret, fruſtra cuſtodirent alii d.* Iſti montes illaminantur à Deo *e*, & *ſuſcipiunt pacem f*: Angeli vident, annunciant quod vident: nec numquam fere montes bonos commemorat Scriptura, ut Auguſt. advertit, quin ſtatim nominet Deum; aut ſimul, ne ſpes remaneat in montib. quod non facit, quando loquitur de montibus malis. Obſervat Hieronymus enarrans modo citatum Zachariam, quod hæc omnia tùm ab illo Propheta, tùm hìc à noſtro dicta Judæi ſub ἠλειμμένῳ *uncto* ſeu Meſſia, & Chriſto, quem ſibi ſpe vaniſſima repromittunt, putant carnaliter eſſe ventura; quod tantam Jeruſalem ſit habitura beatitudinem, ut præ multitudine hominum, & omnium jumentorum, murum habere non poſſit, ſed murus ſit ipſius Domini defenſio, & illius in medio habitantis gloria perfruatur. In cœleſti civitate, ſeu potius templo, tres muros vidit Ezechieli *g*, Joannes *h*, unus, quia Deus ipſe murus illius eſt, eſſentia unus, trinus perſonis.

Ex hoc nunc & uſque in ſæculum) Hieronymus, *à modo, & uſque in æternum.* Omiſit Auguſtinus *nunc* in commentario, licet quidam codices in ipſius textu id exprimant. Omitti non debet; quia Græcè eſt ἀπὸ τοῦ νῦν. Hebraicè מעתה *mehhattah*. Hoc Chriſti promiſſio illa continet *i*, *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi.*

a 26 moral. cap. 10. — b 6. hypotyp. cap. 4. — c in Eſa. c. 5 — d in Eſa. c. 65 — e 1 Joan. 3. 8 — f Eccl. 7. 40 — g Pſ. 54. 23 — h in Zach. c. 14. num. 103 — i Matt. 15. 18 — K Job. 27. 3 — l Rom. 8. 38 39 — m Epiſt. 2 paſchalis. — n Pſ. 86. 1 — o Act. 1. 12 — p 4. Reg. 23. 13 — q Act. 1. 19. — r tom. 3. in Ezech. p. 1. l. 1. c. 45. uſq; ad finem. — ſ 10. 1. prolego 41. pag. 646. & ſeq. — t Matt. 19. 28. c. 24. 30. c. 25. 30. 32. Luc 9. 26. 31 32. c. 21. 27. — u Eſa. 26. 1 — x Zach. 2. 5. — y Serm. 15. in pſ. 90. — z Eſa. 22. 10

a ibidem. — b cap. 2. 5 — c Pſ. 33. 2 — d Pſ. 126. 2 — e Pſ. 75. 5 — f Pſ. 71. 3. — g cap. 40. 5. cap. 42. 20. cap. 43. 8 — h Apoc. 21. 12 & ſeqq. — i Matt. 28 20

Verſ. 3.) Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum, ut non extendant juſti ad iniquitatem manus ſuas.

HÆc ratio peculiaris providentiæ erga illos, qui confidunt in ipſo, & in adjutorio ipſius, ut quamvis quandoq; permittat iniquos juſtis de cauſſis, ad probationem, correctionem, exercitium, meritum, exemplum, &c. dominium in juſtos exercere, ſceptro ſuo ſubdere, virga percutere, non diu id permittere, nec longo tempore ſinat durare hoc dominium, & vexationem, non quieſcere, non ſedere, non manere, non perpetuã eſſe: ſed veluti ſtare, trãſire, temporariã eſſe; ne ſupra vires vexati, & *tẽtati ſupra id quod poſſunt* k, ac deſperantes, incipiant & ipſi tædio malorum, juſtitiam deſerere, atq; iniquos æmulari? eorũ opera libere licenterq; conſectari; ſive ut iis facti ſimiles, amplius non vexentur, ſive ut proſperitatis eorumdem participes efficiantur. Sortem juſtorum tueri vult Deus, hoc eſt, terram, quæ juſtis Deumq; religioſe colentibus, ſortito obtigit, nec ſinere, ut diutius inhabitetur, tamquam fixa manſione conſtituta firma ſede ab impiis idololatris. Magna in utramq; partem vis exemplorũ; præſertim in illis, qui rerum potiuntur; una enim cũ imperio mores ipſos facile inducunt. Quod ſi propterea tam ſevere inhibita ſunt Hebræis omnia cum Chananęis commercia, ne hi *docerent illos facere cunctas abominationes, quas ipſi operati ſunt diis ſuis, & peccare facerent in Dominum Deũ l*: quanto id magis metuendum, ſi ſub eorum, aut ſimiliũ, eſſent dominatu? Quæ res, ac tota hujus loci ſententia, latius pertinet ad omnes homines, quorũ ſerviunt aliqui, & *ſubſunt dyſcolis m*, impiiſq; hominibus. Rectè, præ ceteris, hoc explicat Auguſt. ac inter alia, prolato Pauli teſtimonio *n*, præceptoq; ut *ſervi obediant dominis carnalibus cum timore, & tremore, in ſimplicitate cordis, ſicut Chriſto, non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed ut ſervi Chriſti*, admonet, quamvis verus Dominus ſit ille, qui eſt ſecundùm ſpiritum, & æternus; tamen quum ambulemus in via, quum vivimus in hac vita, Chriſtũ non velle facere nos ſuperbos: non ideo Chriſtianos nos fieri, ut ſi habeamus prius dominum hominem, dedignemur ſervire; quia cum Chriſto jubente ſervimus homini, non illi ſervimus, ſed illi, qui juſſit, ita ut non de ſervis liberi, ſed de malis ſervis boni ſervi efficiamur. Deinde, confirmans exemplo Chriſti, qui hìc etiam ſervire dignatus eſt indignis, & iniquis, exclamat; O quantum debent divites Chriſto, qui illis cõponit domum, ut ſibi fuit ſervus infidelis, convertat illum Chriſtus, & non dicat ei; Dimitte dominum tuum, jam

Senſus loci. — K 1 Cor. 10 13 — l Deut. 20 18 — m 1 Petr. 2 18 — n Eph. 5. 5. 6 — Servi, & ſubditi Regib. & Principib etiam infidelibus, & hæreticis obedire tenentur, ſalva obedientia Deo debita.

cogno-

cognoviſti eum, qui verus eſt Dominus; ille forte impius eſt, & iniquus, tu autem fidelis, & juſtus: indignum eſt, ut juſtus, & fidelis ſerviat injuſto, & infideli. Non hoc ei dixit, ſed magis ſerviat. Idipſum transfert ad poteſtetes, Reges, omnia culmina hujus ſæculi. Ait, verbi cauſſa, milites Chriſtianos ſerviſſe etiam Juliano apoſtatæ, iniquo, idololatræ: licet ubi veniebatur ad cauſſam Chriſti, non agnoſcerent niſi illum, qui in cœlo erat, quem & præponebant imperanti idola colore, vel thurificare, alioquin ſtatim obtemperantes, quando produci aciem jubebat, & ire contra illam gentem *a*. Tandem fide, ac fiducia illa conſolatur nos ſanctus Doctor, quam præſens pſalmi prebet ſententia, non ſic ſemper fore, ut iniqui imperent juſtis, ut virga peccatorum ſemper ſit ſuper ſortem juſtorum, ibi relinquatur, & ſentiatur; venturum diem, quo die *evacuetur omnis principatus, poteſtas, virtus, ſicque Deus omnia in omnibus & uni Deo, Chriſtoque ſubjecta omnia* b. *& ſegregentur oves ab hædis c*, ita ut videantur ibi multi ſervi inter oves, multique domini inter hœdos; tametſi ſecus evenire poſſit, ſi boni domini extiterint, ſervi mali. Utilis, ac jucunda doctrina iſta fidelibus, qui jugum infideliũ, aut hæreticorum nunc ferre coguntur, ut ſibi ferendum ſciant, & obediendum, (quamdiu aliud auctoritate Eccleſiaſtica non permittitur, aut præcipitur) ſalva obedientia, quæ Domino Deo debetur, propter quẽ illis obediũt; ſperent autem vel ſe in libertatem hoc tempore aliquando aſſerendos, vel certe transferendos in libertatem filiorum Dei, ubi regnent cohæredes Chriſti, & ipſius ſolius, ac Dei ſervi. Interim pareant Auguſt. conſilio, ut teneãt ab iniquitate manus ſuas, & ferant iniquitatẽ, non faciãt; quia melius eſt injuſtitiam ferre, quam facere. Brevis eſt hujus ævi quantavis mora, breve, ait Hilarius, quidquid patimur ab adverſariis Dei: & habet victoriæ præmium, licet non habeat pręlii longi laborem. Eam tamen abbreviat Deus moram, dieſq; tribulationis, cum alterius cujuslibet, tum quæ eſt à tyrannis, perſecutoribus, juſtis dominis, licet iniquæ ſe gerentibus: quoniam alioqui *non fieret ſalva omnis caro*, & eam abbreviationem vel *propter electos* facit *d*. *Ad punctũ in modico dereliquit Deus, ſed in miſerationibus magnis congregat e.* Ærumnę nimię deprimunt in barathrum deſperationis, raruſq; quum Job ſentit, & dicit, *Etiamſi occiderit me ſperabo in eum f*, Deprecabatur quoque Salomon *g*, aliuſve apud ipſum, mendicitatem, ne egeſtate compulſus furaretur, & perjuret nomen Domini ſui; negando videlicet furtum, aut blaſphemando illum, qui ſe in eas anguſtias redigi permiſiſſet. Imitatus eſt Deum Paulus, virga uſus *h*, & poteſtate, *non ad deſtructionem*, ſed *ædificationem* i, *tradens ſatanæ ad interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fieret K*; volens confirmari à fratribus in charitate illum, quem ſe, veritas cenſuræ contriſtaverat, *ne forte abundantiori triſtitia abſorberetur l.* Auctor *m*, operis imperfecti hũc locũ interpretatur de poteſtate dæmonum, quam Deus ipſis contra juſtos liberam non permittat, ne contra voluntatem ſuam malum facere compellantur ab illis, nimirum *tentati ſupra id, quod poſſunt n.* Quod utrumque innui videtur illis verbis Dei ad ſatanam de Job *o Veruntamen animam ejus ſerva*, & in pſalmo 36 *p Conſiderat peccator juſtum & quærit mortificare eum: Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus, nec damnabit eum, quum judicabitur illi.* Ubi per *peccatorem* quidam diabolum intelligunt, ut in commentario notavimus. Idem in pſalmo 34 *q. Eripiens inopem de manu fortiorum ejus*; & in 104 *r Non reliquit hominem nocere eis*, &c.

Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum.) Idem valet *derelinquet*, in aliis Pſalteriis, & nõnullis Patribus: nomen autem *Dominus* omittit vetus Pſalterium, & Auguſt. ac Proſper, (qui legit, *non derelinqueretur virga*) nec eſt in Hebræo textu. Hieronym. *Quia non requieſcet virga impietatis.* Alii, *non reſidebit, non permanebit: non figet ſedem* Sed recitat ex Hieron. Trevetus *quia non requieſcet tribus impietatis.* Significat quoq; שבט *ſcevet, tribum*; tribubus vero ſingulæ virgæ erant *ſ*, velut inſignia poteſtatis, & ſceptra, ſeu principatus in primo de quavis tribu, licet alio nomine *virga* ibi appelletur מטה *matteh.* Videntur legiſſe LXX *in hiphil*, יניח *janiach, ſedere, & quieſcere fecit*: & retuliſſe ad *Dominum*, cujus & nomen ſuppleverunt, quod proxime præceſſerit, *Dominus in circuitu populi ſui*: præterea non nomen, ut nunc eſt, רשע *reſciahh*, ſignificans *impietatem, peccatumve*, ſed רשע *raſciahh*, quod *impium* valet, ſive *peccatorem*, quem collective accipientes, expoſuerunt per nomen plurale ἁμαρτωλῶν,

a citatur id 11. q. 1. c. Julianus, ſed male ex Ambroſio, item, ibid. c. Imperatores, ſ Julianus. — b 1 Cor. 15 24 & ſeq: — c Matt. 25 32 — d Matt. 24 22 — e Eſa. 54. 7 — f Job. 13. 15 — g Prov. 30. 9 — h 1. Cor. 4. 21 — i 2. Cor. 13. 10 — K 1 Cor. 5. 5 — l 2. Cor. 3. 78 — m hom. 46. — n 1 Cor. 10. 12 — o Job. 2. 6. — p verſ. 32. 33 — q verſ. 10 — r verſ. 14. — ſ Num. 17. 2 & ſeq.

Dubium porro, an *virga*, ῥάβδος, שבט *ſcevet, ſceptrum*, ſit inſigne dominii, an inſtrumentum ad percutiendum; ſed hæc connexa ſunt. Item ambigi poteſt, utrum *virga peccatorum* intelligatur ea, qua peccatores regunt, percutiuntve alios, aut qua percutiuntur ipſi, reguntur ve, maxime impœnitentes. Nam in prioribus pſalmis vidimus *virgam, baculũque conſolantẽ t*, quæ aliter *virga* nominatur *virorum, & plagæ filiorum hominum u*, ſeu *virga, in qua viſitantur iniquitates: & verbera, in quibus peccata x*, præterea *virgæ ferreæ* mentio facta *y*, *virgæ directionis, & regni z, virgæ virtutis a* Appellavit etiam Deus Aſſur *virgam furoris ſui b*: & Apoſtolus *c*, ut ante dixi, cenſotiam poteſtatem ſuam vocavit *virgam*: adhæc Jeremias *d*, *virgam indignationis*, ideſt, ut exponit Gregor. *e*, percuſſionem diſtrictionis, quam homo paradiſo pulſus pertulit. Utroque modo Deus *non relinquit virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorũ*, ut nec peccatores ſinat percutere, quantum, & quamdiu vellent; nec peccatorib. reprobis virga debita ipſe illos percutiat. Si terram ſanctam diſtributam conſtaret non ſolum funiculis menſoriis, ſed virgis quoque, ut ſortitionem apud Germanos olim factam Tacitus *f*, memorat, & menſos agros acæna, quam ſic vocabat, virga, in Ægypto*, certum eſt, ut omittam ῥαβδομαντείαν, ſeu βελομαντείαν, de qua Hieronym. *g* hoc autem loco videtur Sceptræus de promiſſa terra aſſerere; Tertius poſſet eſſe ſenſus, non *relicturũ Deũ virgam peccatorũ ſuper ſortem juſtorũ*, ideſt, ut quæ juſtis bona evenerunt quaſi ſorte per inſtrumenta virgarum, diutius retineantur à tam injuſtis uſurpatoribus, cum damno legitimorum dominorum. Præfero communiorem hujus loci ſenſum de *virga peccatorum*, pro dominio & poteſtate tyrannica, vel abuſu legitimæ.

Super ſortem juſtorum.) Sors juſtorum κλῆρος גורל *goral* ſignificat *bona, facultates, & quidquid ad illos pertinet in quo lędi, ac veluti virga percuti poſſũt.* Qui dicendi modus ſatis frequens, & antea nõ ſemel notatus à nobis, oritur ex eadem terra promiſſionis, quam ſortibus Hebræi obtinuerunt, ac inter ſe diſtribuerunt. Miſticè idem erit *non relinqui virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum*, atq; abſolute ſuper iſtos, qui *ſorte vocati* dicuntur *h*, *digni facti in partem ſortis ſanctorum i*, *ſortem habere inter ſanctos K*: *coæqualem ſortiti fidem cum Petro* ipſo, & Apoſtolis aliis *in juſtitia Dei noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti m*, Rationem cur munera gratiæ tamquam ſorte dicantur dari, alias reddidi *n*: & Auguſt. aſſignat, atque Ambroſius *o*; (quoniam, ſicut ſortis eventus, ait Ambroſ. non eſt in noſtra poteſtate, ſed quem caſus attulerit; ſic gratia Domini non ex mercedis merito, ſed Domini voluntate defertur. Item, ubi dicitur, inquit Auguſt. iſte facit, iſte non facit, merita conſiderantur, & ubi merita conſiderantur, electio eſt, non ſors. Quando autem Deus nulla merita noſtra invenit, ſorte voluntatis ſuæ nos ſalvos fecit, quia voluit, non quia digni fuimus; hæc eſt ſors,) Greveus *p*, docet, quod poteſtas per virgam ſignificata exercenda non eſt ſuper juſtos, quia *Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali, nec poteſtatem timet, qui bonum facit, ſed habet laudem ex illa q.* Verum exerceri debet in malos, & in hos tamquam in terram projici, ut ſi vertatur in colubrum; & alii terreantur, & expaveſcat Moyſes ipſe, *r* invituſque ad ſubditos in virga veniat Paulus *ſ*, ideſt, quivis magiſtratus, quem oportet quoq; illa uti *non in deſtructionem, ſed ædificationem t*, & manu tenere, hoc eſt, moderari, ac moderate uſurpare. Notat præterea intedum *relinqui virgam peccatorum ſuper juſtos*, qui a ſinuntur in corpore, ac rebus externis pati, non ſuper ſortem eorum, ideſt, gratiam prædeſtinationis, quia manet illæſa, & ſalva reſervatur anima, caro læditur, *os non comminuitur u*, ſed *cuſtoditur x.*

Ut non extendant juſti ad iniquitatem manus ſuas.) Aliud apud Chryſoſtomum vertit διὰ τοῦτο οὐκ ἐκτείνουσιν οἱ δίκαιοι ἀνομίαις χεῖρας αὐτῶν, *propterea non extendunt juſti ad iniquitatem manus ſuas.* Quomodo etiam Cajetanus ex Hebræo tranſtulit, ſive pro ipſo Rabinus ſuus, (*propterea non extendent juſti in iniquitate manus ſuas:*) Græcę plurali numero extat in dativo caſu ἐν ἀνομίαις, *in iniquitatibus* Hieronymus, *ut non mittant, &c.* ישלחו *iſlechu: admoveant, applicent.* Extenſio manus, vel brachii, & miſſio ad aliquid, aut ſuper aliquid, bona, & mala poteſt eſſe; plerumque mala, ut in pſalmo 54. *y. Extendit manum ſuam in retribuendo*: in 137. *z Super iram inimicorum meorum extendiſti manum tuam*; quod juſte quidem fecit Deus; ſed pœnam ſignificat. Sic prohibitus

t Pſ. 22. 4 — u 2 Reg. 7. 14 — x Pſ. 88. 33 — y Pſ. 2. 9 — z Pſ. 44. 7 — a Pſ. 109. 2 — b Eſa. 10. 5 — c 1 Cor. 4. 21 — d Thren. 3. 1 — e 34. mor. c. 2 vel 3. — f de moribus Germanorum. — * Rhodig. l. 7 cap. 29. — g in Ezech. c. 21. & in Oſea cap. 4. — h Ephe. 1. 11 — i Coloſſ. 1. 12 — K Sap. 5. 5 Act. 26. 18 — l 2. Petr. 1. 1 — m ibid. & in Pſ. 15. 6 — n in pſ. 30 concio. 2 — o de exhort. virgin. — p ſerm. 282 — In quos, & quomodo exerceri debeat poteſtas magiſtratuum, hic per virgam ſignificata. — q Rom. 13. 3 — r Exod. 7. 15 & ſeqq. — ſ 1 Cor. 4. 21 — t 2 Cor. 13 10 — u Exod. 12 46 Joan. 19 36 — x pſ. 33 21 — y verſ. 21 — z verſ. 7

eſt

eſt Abraham *extendere manum in Iſaac a*; ſic toties juſſus Moyſes *extendere ſuam, & virgam ad plagas b*: & Deus ipſe *ſuas extendiſſe* dicitur *c*, pariter ad caſtigandum, & *non emittere ad conſumtionem* d, ſed *emittere de alto e*, adverſus hoſtes pro ſervis ſuis. Sic demũ Herodes *miſiſſe*, ſcribitur *manus, ut affligeret quoſdam de Eccleſia f*: In bono ſenſu *miſit* mulier illa fortis *ad fortia g*: & Apoſtoli petebant à Deo, *ut manum extenderet ad ſanitates, & ſigna, & prodigia h*: cujus poſtremi loci ac penultimi lege commentarium noſtrum. Arbitratur Cajetanus legens, *propterea*, &c. innui quod quia Dominus non ſinet virgam impiorum idololatrarum quieſcere ſuper terram promiſſam, quæ fors eſt juſtorum, idcirco iſtos non extenſuros manus ſuas in iniquitatem, ut adorent idola, quemadmodum ſolent adorantes elevare manus verſus illum, quem colunt. Id approbat Placidus Parmenſis, qui nihil ferre, niſi tranſcribit Cajetanum. Latius patet ſententia ad quamlibet iniquitatem, licet idololatria ſumma ſit iniquitas עולתה *bhaulathah* ἀνομία. Proprie autem *extendere*, aut *mittere manum* pertinet ad opus faciendum, non item ad adorandum per admotionem manus ad os, & oſculum, ut noſter quoq; advertit Pineda *i*. Alludens B Arnobius ad Moyſis virgã, quæ verſa in draconem devoravit Magorum virgas k, hoc modo exponit per allegoriam locum totũ. *Ipſe Dominus in circuitu populi ſui, ex hoc* tempore, quo pro eis paſſus eſt, *uſq; ad conſummationẽ ſæculi, non derelinquet virgam* hæreticorum *ſuper ſortẽ* Catholicorum. Egreditur enim virga legis noſtræ de manu legiſlatoris, & effecta draco devoravit virgam eorum; ut non extendant Orthodoxi ad hæreſin vanã ſanctas manus ſuas, ideſt, opera ſua hæreticis non extendant

a Gen. 22. 12.
b Exod. 4. & 7. & 8. & 9. & 10. & 14.
c Exod. 4. 3. 20. c. 15. 12
Eſa. 5. 25 c. 9
21. 17. 21. c. 10
4 c 14. 20. 27
Jerem. 6 12. c. 15. 6. c. 21. 5. c. 51. 25.
Ezech. 6. 14. c. 14. 9. c. 16. 27. c. 15. 7. 13. 16. cap. 15. 3.
Soph. 1. 4
d Job. 30. 24
e Pſ. 143. 7.
f Act. 12. 1.
g Prov. 31. 19
h Act. 4. 30.
i in Job. 31. verſ. 7. & 8 num. 14.
k Exod. 7. 12
Allegoria.

Verſ. 4.) Benefac Domine bonis, & rectis corde.

Senſus loci.

VEritus, quamvis bene ſperaverit de Dei benignitate, quam non permitteret diutius vigere peccatorum poteſtatem, ſævitiamq; in juſtos, ne hi tamen aliquod interim ſcandalum paterentur, nec tam diu quam debebant, conſtantiam, patientiamq; retinerent, convertit ſe ſupplex ad eumdem Deum, ut vel quamprimum illos liberet C vel certe interius animos eorum ſoletur, & corroboret, ut *expectent, viriliter agant, conſortentur corda ipſorum, ſuſtineant ipſum l*. Dum autem *bonos, & rectos corde* nominat, inſinuat tales eſſe, qui non offendantur, & ſcandalizentur circa judicia Dei, relinquentis virgam illam peccatorum ſuper eos ad tempus etiam aliquanto longius; ſed ad æquant cor ſuum corrigunt, & dirigunt ad cor, voluntatem, judicium Dei, quæ eſt rectiſſima regula, & norma, etiamſi non aſſequantur, quare ille hoc, illudve faciat, fierive permittat. Denique ſic boni ſunt, ut, quod ait Auguſt. eum bonum in omnibus inveniant, ſive emendantem, ſive complentem, ſive exercentem, ſive coronantem, ſive purgantem, ſive illuminantem. *Quam* m, *bonus Iſrael Deus his, qui ſic recto ſunt corde!* Tacita ſimul adhortatio eſt ad hanc bonitatem, rectitudinemque cordis, ſive ad alacritatem, & hilaritatem in Deo colendo, & aliis benefaciendo. Quæ adhortatio, ut libentius admittatur his, qui eſſe hoc pacto boni & recti corde volunt, bene David à Domino precatur, ut is erga eos præbeat ſe beneficum, ac liberalem, exhilarando; & lætitia cumulando mentes ipſorum, quemadmodum & ipſi ſe D promtos exhibent, alacreſque in ipſius obſequio, tùm probitate facti, tùm voluntatis, quia boni ſunt ex voluntate, ac Deo, non tantum videntur eſſe hujuſcemodi ab hominibus, ut Hilarius obſervat. Talem quippe ſe ſemper nobis præbet Deus, ut hoc loco ait Euſebius ab Agellio citatus, quales nos ipſos Deo per liberi arbitrii facultatem,) adjutam nimirum ab eodem Deo) ut ſit bonus bonis, efferatis tamquam urſus, ac pardus.

l Pſ. 26. 14.
m Pſ. 72. 8.
Talem ſe præbet nobis Deus, quales nos ipſos Deo exibemus.

Benefac Domine.) Poteſt הטיבה *hetiuah*, & ἀγάθυνον ſignificare *hilarem, lætumq; reddere*: rectis enim corde peculiariter debetur lætitia *n*. Suſpicantur aliqui *o*, paſſivè legendum ἀγαθύνου *bene afficere, bene affectus eſto, placitum tibi; aut beneplaceat tibi erga bonos, &c.* In 2. Eſdræ *p*, quod habemus, *Si placet ſervus tuus ante faciẽ tuã*, extat Græcè εἰ ἀγαθυνθήσεται ὁ παῖς σου ἐνώπιόν σου. *Si bonus videbitur ſervus tuus coram te.* Hebraicè ייטב *titau.* Apud Danielem *q*, quod vehementer gaviſus Rex dicitur, ab Interprete exprimitur Græcè quod πολὺ ἠγαθύνθη Chaldaicè שגיא טאב *ſaggbi teev* In libro Judicum *r*,

n Pſ. 96. 12
o Auctor theſaur.
p cap. 2. 5.
q cap. 6. 23.
r cap. 19. 22

A dicuntur מטיבים *metivim*, & ἀγαθυνθέντες, quod Interpres vocat *epulantes, & poſt laborem itineris cibo, & potu reficientes corpora*; Theophylactus *ſ*, *benefaciendi* verbum hoc loco putat accipi ut reſpicit ſolum dignos, quia dicitur *benefac nobis*: atque ita diſtingui fructum Spiritus ſancti qui vocatur *benignitas t*, Χρηστότης, ut latius pateat, quia ſcribitur *Deum eſſe bonum*, ſeu *ſuavem*, Χρηστὸν *univerſis*; *bonitas* ἀγαθωσύνη, quam Interpres Theophylacti appellat *beneficientiam*, verſetur tantum circa dignos. Non placet hoc diſcrimen, conſtatque ἀγαθύνειν, & ἀγαθωσύνην, ad omnes extendi, & prius quidem extat in pſalmo etiam 50. *u* ubi legimus, *benigne fac*.

ſ in epiſt. ad Galat. ca. 5.
t Galat. 5. 22
u verſ. 20

Bonis, & rectis corde.) Qui, ut ait Trevetus, bona agunt, & recta cogitant; qui, ut Hilar. probitatem facti, & voluntatis habent; nec propter hominum favorem, vel periculum, ac metum, ſed ex voluntate boni ſunt: qui ut, Auguſt. & bene agunt, & ſunt cum Dei voluntate, judicioq; concordes: qui, ut Chryſoſt. ſimplices ſunt, non ficti, nihil habentes adumbratum, ſimulatum, varium, artificioſum, vafrum, doloſum, perverſum; ſed planam, expeditam, ſynceram, apertam vivendi rationem. Exem-B plum affert Chryſoſt. in eo, qui mendacium profert, & in alio, qui veritatem; quorum ille fraudes conſarcinat, aggreditur multa, multam adhibet varietatem, multis utitur fictionibus, artificio, dicendi facultate: hìc non labore, non difficultate, non ſimulatione, non arte, aut machinatione, aut ullo alio ejuſmodi indiget, quum veritas ipſa per ſe luceat. Confirmat ſimilitudine corporum, quæ ſi deformia ſint, multis egent artificiis, & integumentis, quibus deformitas contegatur: ſit pulchra ipſa per ſe, etſi nihil extrinſecus advenerit, reſplendent. Inde colligit quod etiam ante ſupplicium vitium ſupplicium infligit, & ante remunerationem, virtus remuneratur; ut idcirco Paulus *x*, mercedem in ſe recipere dixerit eos qui turpiter meretriciè ſeſe proſtituunt. Verum de rectitudine cordis, rectiſq; corde dictum alias. Argumentatur porro cum Nazianzeno *y*, Euthym.* & Nicetas Choniata *z*, quamvis Chriſtus affirmaverit, *nullum bonũ eſſe niſi unũ Deum a*, non excluſiſſe ſeipſum ſed occurriſſe legisperito tentanti ſe, & ſibi, ut homini, bonitatem tribuenti; ſumme autem bonum eſſe ſolum Deum ſignificare voC luiſſe cum alioquin & ipſemet *bonum hominem* appellaverit *b*; & hoc loco videamus dici *homines bonos* nempe ad quos è primo illo bono, tamquam è fonte, quidam bonitatis rivuli defluunt. Quin & quandoque, inquit Nazianzenus, dicitur filius ſolus Deus, ut à Baruch *c*. *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius adverſus eum (ei non comparabitur ad ipſum alius* οὐ λογισθήσεται ἕτερος πρὸς αὐτὸν) *poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Hic verſus Pauli II. ſymbolum fuit, teſte Ciaccone *d*.

x Rom. 1. 27
y orat. 3. de Filio.
* Panopl. p. 1 tit. 11
z in theſau. cap. 66.
a Matt. 19. 17. marc. 10 18. Luc. 18. 19.
b matt. 12. 35.
c cap. 3. 36. 38.
d in vita.

Verſ. 5.) Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem, pax ſuper Iſrael.

Senſus loci.

POſt votum, ac deprecationem pro bonis, rectiſq; corde, ut iis benefaceret Deus, adjungit Propheta comminationem terribilem iis, qui relicta bonitate ac benignitate adverſus alios, item rectitudine cordis, qua deberent Deo placare, & conſentire, honorem ipſius intenD dendo, atque cuncta ejuſdem judicia venerando, & humiliter acceptando, declinant, & deflectunt ad obliquas, pravas, diſtortas vias, quibus & ſeipſos obligent, obtortoque quaſi collo ſuffocent culpa, tùm pœna; nec non alios, eos vexando, ac injuſtis, implicatis, intricatis nexibus, laqueiſve vincendo, præſertim contractuum commerciorum, negotiorum illicitorum. Hos, inquit, adducet Dominus, abducet cum operantibus iniquitatem, & ad operantes iniquitatem, ut eadem ab iſtis patiantur abductiq; in exilium, quæ pati alios ſuos contribules compulerunt. Verumtamen in fine redit ad pium pro populo ſuo deſiderium, ut ſi quidem contingat ſubire has debitas pœnas, concedatur ei tandem à Deo pax, reditus ab exilio, bonorum affluentia non amplius commoveri, pelliq; à patrio ſolo, à Sione, à Jeruſalem. Tota ſententia commode ad alios quoslibet extenditur, perinde ut pſalm. totus, quemadmodum adhuc vidimus]. Atq; pax quidem ſuper Iſrael Dei, perfecta potiſſimnm erit, quando Chriſtus *pax noſtra e*, *operarios iniquitatis diſcedere à ſe juſſerit f, & abire in ignem æternum, paratum diabolo, &* ange-

e Eph. 2. 14.
f Matt. 7. 23 Luc. 13. 27.

angelis ejus a, omnis iniquitatis non tantum operariis, verum etiam auctoribus, & ſuaſoribus ad ſe autem aſſumſerit bonos, & rectos, ac *mundos corde ut videant Deum b*, juxta vulgarem Iſraelis etymologiam, & habitent in viſione pacis, quam Jeruſalem etiam ſignificat κατ᾽ ἔτυμον denique pacifici jure ſuo filii Dei *c*, hereditate filiorum Dei fruantur, quæ eſt pax, ac Deus pacis, idemque *pax exuperans omnem ſenſum d*, ac intellectum. Bis pacem dandam Eſaias vel petiit, vel prædixit, *e*, *pulchritudinẽ ejus f, & declinandum quaſi flumen pacis ſuper Jeruſalem g*. Chriſtus quoque tam ſæpe inculcans nomen *pacis*, & ſub mortem, bis dixit *ſe pacem dare*, ac *relinquere h*, & poſt reſurrectionem, bis data pace ſalutavit ſuos *i*. Erit pax ſuper beatos, quia Deus auctor pacis, & pax, *intrare* faciet illos *in ſuummet gaudium* k, *& exuperabit*, ut modo dixi, *omnem ſenſum*, intellectumque: ſupra ſe pacem habebunt, ut notat Hugo, quia obediet eorum anima Deo perfectè; infra, quia caro ſubdita ſpiritui: intra, quoniam ratio, & voluntas omnino concordabunt: extra, quoniam nulla iis nocebit creatura, nihilque concupiſcent, quod non eis concedatur.

a Matt. 25. 41.
b cap. 5. 8.
Iſraelis etymolog.
c ibid. v. 9
d Philip. 4. 7
e cap. 26. 3
f cap. 32. 38.
g cap. 66. 12
h Joan. 14. 27
i cap. 20. 21. 26.
k Matt. 25 21. 23

Declinantes autem in obligationes.) Legitur, *ad obligationem*. In Romano Pſalterio, & Ambroſiano, & apud Caſſiod. Arnobiumq; præterea apud Adrianum Papam I. *l*, Hieronymus, *Qui autem declinant ad pravitates ſuas*. Alii, *in perverſitates*, vel *declinare facientes, & pervertentes, nempe illos, qui ſunt ſimplices, pravitatibus ſuis*, ſive *parantes aliis præcipitia, & extendentes lubrica, ut cadere faciant alios*; vel *pervertentes, nimirum vias ſuas pravitatibus ſuis*, ſive *ut ambulent in pravitatibus ſuis*, vel *declinantes*, videlicet *à via recta & ambulantes in perverſitatum ſuarum viis*; vel *qui ad malitiam ſuam avertũtur*. Qui omnes modi revocantur ad duos, tùm ut ſignificentur illi ipſi, qui *depravant vias ſuas m*, tùm ut hi, qui educunt alios, & pervertunt. Aquila pro nomine, quo utuntur LXX στραγγαλιὰς & ſignificat *ſtrangulationes* ſicut & Auguſtinus, cum vetere Pſalterio, legit, ſed numero ſingulari reddidit διαπλοκὰς, *implicationes, & ſimultates*, Symmachus, σκολιότητας, *obliquitates*, & *tortuoſitates*, quaſi dicas *obliquationes*: quo ipſo alio vocabulo Græco Euthymius; & Nicephorus declarant id, quod LXX. uſurpant. Theodotio, διεστραμμένα, *perverſa*. Videtur, quem retuli, Chriſoſt. & illius abbreviator, is, qui dicitur Ba-C ſilius, dolos, fraudes fictas & artificioſas, ad mentiendũ, & fallendum comparatas, compoſitaſque intelligere, oppoſitas rectitudini cordis, ſimplicitati, ſynceræ veritati. Apollinarius exponit σκοτίας βουλὰς κυδοιμοῦ, *tenebroſa conſilia belli*. Tales *adduci cum operantibus, iniquitatẽ*, poſſumus illis aliis Chriſti verbis interpretari, ut *partem eorum poni* dicamus *cum hypocritis n*: quod poſtea deprehendi notatum ante me à Genebrardo; nempe ut vafri, fraudulenti, denique hypocritæ puniantur, perinde ac ſi eſſent aperte improbi, de quo ſuo deinde loco agetur. Ceterum placet maxime, quod noſter Bellarminus defendẽs lectionem noſtram, (quod ſtrenue etiam faciunt Janſenius, Brugenſis, Titelmanus, Scepræus) definivit, *obligationes* non eſſe hoc loco ad aliquid agendum vel patiendũ ut ſunt vota, juramenta, promiſſa, pacta; non item culpæ, & pœne, quaſi vincula, aut quid ſimile; ſed quid oppoſitum rectitudini cordis, de qua proxime facta mentio eſt; ita ut ſignificent obliquitatem ac tortuoſitatem cordis, ſimilem illi, quæ cernitur in fune, quum aliquid ligatur; quia quum aliquid ligatur fune, oportet hunc, qui D alioqui rectus erat, torqueri ac in circulos duci. Hoc optime ſignificant aliorum Interpretum διαπλοκαί, σκολιότητες, διεστραμμένα: per ſecundùm autem nomen dixi Græcos, Euthymium, Nicephorumq; id exponere, quod LXX. poſuerunt στραγγαλιάς: & præterea declarat Heſychius eſſe συστροφάς, διαστροφάς; πλοκάς: item παγίδας, *ſtrophas, vias tortuoſas, obliquaſque implicationes*, ſeu *tergiverſationes* ac *involutiones*: ſed & *laqueos tortuoſos*, ac *intricatos, tendiculas flexuoſas*. Latina alia vox *ſtrangulationis*, & ſono ſimilitudinem habet cum Greca στραγγαλιῶν, & rem eamdem valet στραγγαλάω, ideſt; *ſtrangulo, & ſuffoco*; quod etiam non fit niſi fune, laqueove implicato. Sed tũc non tam intelligeremus de *declinantibus in obligationes*, quam de Deo, qui declinantes videlicet à via recta, ipſe in ſtrangulationem, ſuffocationem, denique laqueum & interitum *adduceret cum operantibus iniquitatem*. Quo etiam modo videtur Auguſtinus ea lectione uſus, intellexiſſe. Apud Eſaiam *o* pro *ſolve faſciculos deprimentes*. Græcè dicitur, διάλυε στραγγαλιὰς βιαίων συναλλαγμάτων

l in ſcripto de imaginib ex actione 4 Concilii Niceni 2
m Prov. 10. 9
n Matt. 24 51.
o c. 58. 6.

A *ſolve obligationes violentorum commerciorũ*, vel *cõventionum & tractatuum*, ut exponit Hieronymus, *p*, confirmans præſentis loci noſtri teſtimonio, dicenſq; eſſe chartharum faſciculos, in quibus fœneratorum calumniæ cõtinentur: vel, ut Tertullianus *q*, *violentorum contractuum obnexus*: vel ut Cyprianus *r*, *ſuffocationes impotẽtium commerciorum*; quod illuſtrari poteſt exemplo mali conſervi, qui tenens ſuffocabat debitorem conſervum *ſ*. Hebraicè, אגדות מוטה *aguddoth mothah, faſciculos jugi*, aut *nutationis*, ideſt, qui nutare ac vacilare cogant. Quod ſi ſcriberetur per ר *res*, אגרות *agurotb*, eſſent *tractatus* ac *chirographa debitorum*. Chaldæus explicat, פמרו בחבי רך ססמי *Kirie chitbe din maſte, colligationes ſcripturarum judicii depravatas*. Omnia iſta optima *obligationum* vocabulo Interpres noſter intellexit, pro quibus parum prudenter Pagninus *t* ait, imprudentem librarium *obligationes* poſuiſſe, & Cantapetrenſis *u* nos ita legere jubet ac nonnulli codices, de quibus Janſenius, Titelmanus, Burgenſis. Nam *obligationes* important ſecum ipſaſmet *obliquitates, diſtorſiones, depravationes, tortuoſitates, implicationes, &c.* Denique nomen *obligationem* nõ eſt ita B in uſu apud Latinos. Nomen præſentis loci Hebræum cũ affixo pronomine eſt עקלקלותם *bhaKalKallot Kam*, quod non recte derivatur à קלל *Kalal*, ne Scepræus tamen derivari putat poſſe, quaſi denotet à lævore vitium curioſitatis, vanitatis, amoris proprii, nimirum amplectentis delicias, mollities, ornatus corporis, quæ levitate, vel lævore non male repræſententur. A קלל *Kalal* eſt quidẽ קלקל *Kelkel tergere ac polire*. Sed nihil habet hoc thema affinitatis cum עקלקלת *bhaKalKallah* à verbo עקל *bhaKal*. Reperitur idẽ nomen adhuc ſemel dũtaxat in libro Judicum *x*, ubi *calles devios* tranſtulit Interpretes, quos Græcus textus appellat ὁδοὺς διεστραμμένας & Hebræus ארחות עקלקלות *orachoth hqakalkalloth*. Chaldeus *vias furtivas*, ארחן טקנכן *orechan megannevan*. Solent enim latrones perplexas, flexuoſa, tortuoſas, ſinuoſas, invias vias inire, velutiq; mæandros & labyrinthos. Rectè congruit Judæ furi & latroni *y*, qui *laqueo ſe ſuſpendit* z, ut declinaſſe dicatur in has obligationes iſto ultimo modo & aliis, declaratas. De altero non diſſimilis farinæ prædonæ, qui Simoniaco furto cognomen dedit, Petrus ipſum alloquens, affirmavit *a*, *in obligatione iniquitatis* C *video te eſſe*. Contulimus nos ibi illum cum iſto loco noſtro, ubi Græcè eſt σύνδεσμος, *colligationem* ſignificans & *implicatum, fictum, duplicem* hypocritæ Simonis animum, non ſolum peccatorum variorum catena conſtrictum.

p ibid.
q 4. contra Marcion. c. 37.
r de orat. Dom. & v. 3
ſ Matt. 18. 28.
t in theſaur. verbo. עקל bhaKal.
u 1 hyparyp. cap. 5.
x cap. 5
y Joan. 12. 6
z Mat. 27. 5 Actor. 1. 18
a Act. 8. 23

Adducet Dominus.) Hieronymus, *deducet eos Dominus*. Alii, *ambulare faciet eos* יוליכם *jolichem*, ubi more Hebræo redundat pronomen affixum. Chaldaicè *deducet Dominus in gehennam, & pars eorum erit cum operantibus iniquitatem.* Vel in textu Nebienſis, *ſed declinantium poſt obliquitates ſuas deducet Deus gehennam partem eorum, &c.* Auguſtinus legit, *abducet*, quod magis ſonat ἀπάξει, vel *abiget*, nempe in captivitatem, ut Cajetanus quoque declarat.

Cum operantibus iniquitatem.) Vel injuſtitiam cum Auguſtino, vetereque Pſalterio. Deductio iſta, ſive abductio, eo ſpectat, ut qui declinant in obligationes per obliquitatem cordis, cognoſcantur, & habeantur ut aperte improbi, & iis debitas luant pœnas. Deprecatus eſt noſter Vates, *ne ſimul eum Deus traheret cum peccatoribus, & cum operantibus iniquitatem, ne perderet ipſum* b: *qui* D *loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum*. Hoc eſt *declinare in obligationes*. & recedere à recto corde. Ibi docui, quam ſit moleſtum & periculoſum inter improbos verſari: deterius autem in unum veluti faſcem cum illis colligari & perdi *c*. Auctor operis imperfecti *d*, exponens quod non relinquit Dominus ex benevolentia erga juſtos, *virgam peccatorum ſuper ſortem illorum, ut non extendant ad iniquitatem manus ſuas*, ideſt, non dat poteſtatem dæmonibus ſuper illos, ne quando contra voluntatem ſuam malum facere compellantur ab illis, nempe, ut prius monui, ne gravius tentati ſuccumbant, quamvis libere; addit, quod idem Deus *declinantes ad ſuffocationem* (ſic habet interpretatio Latina dicti Auctoris, quem Græcè non reperi) *adducet cum operantibus iniquitatem*, hoc eſt, quod qui declinatus eſt ad malefaciendum, ſociat illum cum operantibus mala & male facere parato malefaciendi providet cauſſas. Qua in re quamvis idem Auctor admoneat, Deum non eſſe injuſtum, lenius

b Pſ. 27. 3
c Pſ. 25. 9.
d hom. 46

loqui potuit; vel certe debet intelligi, ne videatur Deus caūſas poſitive de induſtria præbere ad male faciendum; quantumvis parato male facere. *Intentator malorum Deus eſt, neminemque tentat a*. Quamvis etiam verum, & poſitive concurrere ad actus malos, quantum ad eſſe phyſicum, quod habent; ſed præterea quædam beneficia bono ac ſyncero animo conferre, quibus prævidet improbum abuſurum. Quod eſt genus quoddam excæcationis & obdurationis poſitivæ; ut alibi docuimus. Abutuntur ineptiſſime hoc loco hæretici contra religionem votorum, eoſque, qui ſe votis obligant, quaſi eos, qui obligant ſe ſic Deo, in bonum, Deus adducturus ſit cum operantibus iniquitatem. Nam emittentes hæc vota, obligationeſque, non declinant, ſed ſe potius extollunt, exaltantque & neceſſitatem ſibi imponunt fœlicem; quæ ad meliora perurgeat. *Injiciunt pedem in compedos* honeſtiſſimos, *& in torques* ornatiſſimos *collum, quæ ſunt eis in protectionem fortitudinis, in baſes virtutis, ſtolam gloriæ, & in vincula, in alligaturam ſalutarem b*.

a Jacob. 1,12 — Hoc loco inepte abutuntur hæretici contra religionem votorum. — b Eccl. 6, 25, 30, 38.

Pax ſuper Iſrael.) Nempe ſit, vel erit, vel adducet Deus, poſtquam adduxerit Deus cum operantibus iniquitatem, atque præcipitaverit in interitum eos, qui declinant in obligationes. Nomine autem *pacis* docui ſæpe comprehendi bona omnia, & id Auguſtinus c oſtendit. Recte etiam Iſraeli dicebam prius convenire pacem, paciſque viſionem, hoc eſt, juxta notationes horum nominum trias Iſraelis & Jeruſalem, *videnti Deum & viſionem pacis*; quia Deus ipſe pax eſt. Videtur Paulus hæc verba tranſcripſiſſe in epiſtola ad Galatas d. *Et quicumque hanc regulam ſequuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia & ſuper Iſrael Dei*. Meminit hoc loco Auguſtinus Epiſcopalis ſalutationis in Miſſa, *Pax vobiſcum*; (jam dici ſolet *vobis*) aitque illos, qui oderunt Jeruſalem, qui oderunt pacem, qui volunt conſcindere unitatem, qui non credunt paci, qui falſam pacem pronunciant in populo, & non illam habent, falſum dicere, & falſum audire, quum dicunt, audiuntve, *Pax vobiſcum, & cum ſpiritu tuo*. Donatiſtas intelligit, & omnes iis ſimiles ſchiſmaticos, qui ſeparant ſe à pace Orbis terrarū, diſſenſiones amplectuntur, odiunt pacem, unitatem non diligunt. Legendus de eadem ſalutatione Johannes Stephanus Durandus e. De pacis autem bono ſæpius alibi egimus. Habetur eadem formula precatoria in fine pſalmi 127. juxta editionem Græcam, & nonnullorum Latinorum, *Pax ſuper Iſrael*.

c 19. de civ. c. 21. & ſeq. — d cap. 6, 16. — e 3 de ritib. Eccl. cap. 15.

PSALMUS

CENTESIMUS VIGESIMUS QUINTUS,

Canticum graduum.

1. IN convertendo Dominus captivitatem Sion; facti ſumus ſicut conſolati.

2. Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum: & lingua noſtra exultatione.

Tunc dicent inter gentes; Magnificavit Dominus facere cum eis.

3. Magnificavit Dominus facere nobiſcum; facti ſumus lætantes.

4. Converte, Domine, captivitatem noſtr am ſicut torrens in Auſtro.

5. Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent.

6. Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua.

Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos.

Titulus, & Argumentum.

Canticum graduum.

NIHIL habet peculiare titulus, ſed omnium qui præceſſerunt maxime congruit argumēto pſalmi ſui. Nam ſatis communis opinio eſt, facta redeundi à Cyro facultate captivis Judæis, hos in iſto pſalmo lætitiam ſuam decantare, ac Dei erga ſe admirabilem beneficentiam prædicare. Id præter alios Euſebius etiam affirmat, citatus ab Agellio; & innuit ſatis Athanaſius Marcellino ſcribens, quod quæ ſunt Eſdræ, apud quem nempe reditus de captivitate deſcribitur, pſalmus iſte cantat: Hieronymus f agi quoq; ſcribit de temporibus Zorobabel; quia vero non omnes remigraverant, ab illis, quibus id conceſſum fuerat, orationem ad Deum fundi, ut integrum eſſet de omnium liberatione gaudium, communiſq; cunctorum exultatio & gratulatio. Hic vero typus eſt multo perfectioris libertatis à captivitate diaboli, erroris & peccati, ad Jeruſalem duplicis Eccleſiæ militantis & triumphantis, ut omnes fere Catholici ſentiunt, Hilario excepto, qui videtur typum ipſum & litteralem de eo negare ſenſum, per verum Meſſiam noſtrum, quem fruſtra adhuc Judæi expectant, exponentes præſentem pſalmū, quod R. Aben-Ezra præſertim facit, & alii in libro Tanhuma, ut meminit hoc loco Nebienſis poſt Galatinum g, de ſuo Meſſia ſecundo ex familia David, quem diſtinguunt ab alio ex familia Joſeph; ita ut hoc occiſo, ille ſit miſeros Judæos ex captivitate iſta maxima liberaturus, in qua nunc tamdiu verſantur. Quadrat ſingulari quadam ratione pſalmus hic patientibus perſequutionem, & ex ea liberatis. Qua in re quoniam Apoſtoli fuerunt inſigniores, uſurpant eum Eccleſia in officio veſpertino illorum. Idem Athanaſius recenſet inter pſalmos Euchariſticos, qui continent actionem gratiarum.

Argumentum. — f in Eſ. c. 30 — g l. 4. cap. 12.

Verſ. 1.) In convertendo Dominus captivitatem Sion; facti ſumus ſicut conſolati.

EXimium ex nuntio relaxatæ captivitatis conſolationem percepiſſe in Babylone captivos, iſtis ipſorummet verbis ſignificat: tantam, inquam, quanta cenſeri ſolet, quæ vere talis eſt, & nominari debet vera conſolatio; & cui, præ illius magnitudine, vix credant illi ipſi, qui eam percipiunt; ſed ſibi quodammodo ſomniare videntur. Hæc ſunt verba bona, verba conſolatoria, quę reſpondiſſe Dominum Angelo, qui loquebatur in ipſo ſcribit Zacharias h inenarrabilis lætitia eſt, juxta myſticum ſenſum, converſi ex animo ad Chriſtum; ineffabilis conſolatio ſerio redeuntis ad Deum, ſuoſque dirigentis pedes in viam pacis, quam parit bona conſcientia, contemtus omnium rerum terrenarum, odium & abominatio peccati, amor virtutis, deſiderium, ſpeſque cœleſtis beatitudinis, & *Jeruſalem, quæ ſurſum eſt, mater noſtra i, cujus artifex & conditor DEUS K. Gaudete & laudate ſimul deſerta Jeruſalem*, inquit Eſaias l, *quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum, redemit Jeruſalem*. Hic myſticus Cyrus eſt Domini Chriſtus verus m, quem *ſuſcitavit Deus ad juſtitiam, & omnes vias ejus dirixit, ut ædificaret civitatem ſuam & captivitatem ſuam*, populi ſui, *dimitteret, non in pretio, neque in muneribus n*; quod Hieronymus Prophetæ utrumque declarans locum, ſimul cum præſenti loco pſalmi noſtri, de captivitate ſpirituali, deque Eccleſia interpretatur. Athanaſius o applicat ad juſtos in limbo liberatos à Chriſto illuc deſcendente, quos & carmen iſtud cantantes inducit, *prævenientibus, qui conjuncti erant pſallentibus, in medio juvencularum tympaniſtarum p*, iſtam captivam captivitatem duxit idem Chriſtus, *aſcendens in altum q*. Magnis omnibus & viris excelſis patria una eſt ſuprema Jeruſalem, ait Nazianzenus r, in quam τὸ πολίτευμα *converſationem* ſ recondimus. Non cantat DEO amatoria iſta & lęta, cum Auſtino t, niſi qui cum eodem, intrans in cubile ſuum, gemit inenarrabiles gemitus peregrinationis, & recordatur Jeruſalem, extento in eam ſurſum corde, Jeruſalem patriam tuam, Jeruſalem matrem ſuam; & Deum ſuper eam regnatorem,

Senſus loci. — h cap. 1. 13. — Senſus myſticus. Conſolatio & lætitia converſi ex animo ad Chriſtum inenarrabiles ſunt. — i Gal. 4. 26 — K Hebr. 11. 10 — l cap. 52. 9. — m cap. 45. 8 — n verſ. 13. — o Tractat. in paſſ. & Cruce Domini. — p pſ. 67. 26 — q ibid. v. 19 Epheſ. 4. 8 — r Orat. 25. — ſ Phil. 3. 20. — t 12. Confeſſ. cap. 16.

illuſtratorem, patrem, tutorem, maritū, caſtas & fortes delicias, ſolidum gaudium, omnia bona ineffabilia, unum ſummum & verum bonū; nec avertitur, donec in ejus pacem matris chariſſimę, ubi ſunt primitię ſpiritus tui, unde illi iſta certa ſūt, colligat Deus miſericordia ejus totum quod ille eſt, à diſperſione & deformitate, hac, præſentis nempe captivitatis, & conformet, atq; confirmet in æternum. Ejuſdem iſtius gaudii teſtis quoq; optimus Bernardus a, ſcribens, quod plerumq; orantibus omnia viſcerū ſuccutiuntur occulta, ad memoriam gaudii illius, quod eſt in Jeruſalem, quæ *ſurſum eſt, quæ eſt mater noſtra* b, & lacrymarum unda vultus meditantium ſuperfundit. Hoc ait eſſe *ponere Jeruſalē in principio lætitiæ noſtræ* c, quia finis illis repoſitus eſt, & in principium gaudii illius, quod hic quandoq; ſentimus, ſtilla eſt, guttula eſt de flumine illo deſcendens, cujus *impetus lætificat civitatē Dei* d. Hoc etiam affirmari poteſt eſſe juxta unam loci præſentis expoſitionem, *fieri ſicut conſolatos*, non abſolute ac ſimpliciter conſolatos. Nam quamvis liberi ſimus in hac vita à captivitate diaboli & peccati, nec non legis ſcriptæ, ne ſimus horum ſervi per eam libertatem, qua nos Chriſtus liberavit e, *prędicans nobis captivis remiſſionem*, ſeu *indulgentiam*, & conferens f; nihilominus adhuc *ſentimus legem in membris, captivantem in lege peccati* g: adhuc redigere debemus *intellectum in captivitatem, in obſequiū Chriſti ac fidei* h; adhuc anima corpore continetur tamquā ergaſtulo, vinculis, carcere, ſepulchro, ut ſit σῶμα quaſi σῆμα, vel quia σώζει, ſervat & coercet animam: de qua re Hieron. i, *adhuc ingemiſcimus & parturimus vanitati ſubjecti & expectantes redemtionem corporis*, licet *habeamus primitias ſpiritus k; adhuc ingemiſcimus gravati habitationem noſtram, quæ de cęlo eſt, ſuperindui cupientes & ſuper veſtiri* l: tandem *captivitas à forti tolletur, & quod ablatum fuerat à robuſto*, (diabolo) *ſalvabitur* m. Æſtimare non poteſt libertatis beneficium, qui, quantum ſit malum captivitas, non æſtimat. Qui ceperunt aliquos jure belli, captis ſæpe parcunt, inquit Chryſoſt.: & ſi aut aquari, aut lignari, aut equos paſcere juſſerint, animam minime læſerint. Qui peccati autem captivus factus eſt, habet ſævum, & barbarum dominum, qui cogit eum facere res turpiſſimas, & maxime probroſas; Allato deinde in exemplum proditore Juda, & hortatus, ut ſummo ſtudio fugiamus tam ſævum tyrannum, & cum eo bellemus, nec ei umquam reconciliemur, & liberati in libertate permaneamus; argumentatur de ſpirituali lætitia iſta hoc modo: Si hic enim à barbaris liberati, conſolationem acceperunt: multo magis oportet nos à peccato liberatos gaudere & exultare, & hanc lætitiam conſervare immortalem; non autem eam perturbare ac confundere, eadem mala rurſus aggredientes. Recte dixit confundere, quia Babylonia locus captivitatis, quæ iſtam præfiguravit, *confuſionem* ſonat, ut expendit Auguſt. dicens, mundum hunc & vitam nihil niſi confuſionem eſſe, ubi quid agimus in ſpe vana, quum cognoſcimus quid agimus, erubeſcimus, & gloriam, fructumve nos nullum habuiſſe deprehendimus *in his, in quibus nunc erubeſcimus* n. Exaggerat præterea Hilarius captivitatem ſpiritalem, de qua ſola videtur litteraliter pſal. intelligere, uti antea monui, facta ipſius comparatione cum corporali Liberos ſecundùm animam oſtendit corpore captivos fuiſſe tres pueros, inter flammas cantantes o Danielem infame leonum Prophetæ p prandio ſaturatum: Eleazar inter jura dominorū patriis ſuis legibus liberum q; cum matre ſua Martyres ſeptem Deo gratias inter nova mortis tormenta referentes r. Enumerat deinde variam, & in fœliciorē in anima captivitatē, ab avaritia per corpus latrocinante ac graſſante: à libidine, quæ ſi vicerit, communicat cum corpore ſervitutem; à luxu, ira, odio, temeritate, ebrietate, invidia, quibus imperantibus dominis & anima & corpus in commune famulantur. De ſingulis deinceps agit, per eleganter deſcribens ipſorum ſævam tyrannidem; ſuadenſq; ut cognita ſapientiæ doctrina, Dei predicatione, remiſſione peccatorum, reſurrectione corporum, æternitatis conſortio, regno cęleſti à dominantibus iſtis, de avaritia ad munificentiam tranſeamus, de libidinibus ad continentiā migremus, de ebrietate ad jejunia revertamur, de furore, temeritate, odio, livore ad placabilitatem, rationem, miſericordiam, benignitatem evolemus. Nemo mirari ſatis valet magnitudinem beneficii tanti, propter hoc, *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicent ultra, Vivit Dominus, qui eduxit filios Iſrael de terra Ægypti; ſed, Vivit, Dominus, qui eduxit, & adduxit ſemen domus Iſrael de terra Aquilonis, & de cunctis terris, ad quas ejeceram eos illuc, & habitabunt in terra ſua*. Longe illuſtrior liberatio fuit Ægyptiacæ, quam Babylonicæ captivitatis, idcirco de generali humani generis captivitate ac liberatione loquitur Jeremias t, qui etiam ſi eadem verba proferat prius de captivitate Babylonica, tamen exigunt in poſteriore antecedentia & conſequentia; ut de Chriſto, ac de facta per eū univerſali illa liberatione, intelligatur. Nec deſunt, qui utriuſque loci eumdem contendant de hac ipſa re ſenſum eſſe, propter dictam cauſſam, quia mirabilior fuit liberatio ex Ægypto, quā ex Babylone. Qui de hac explicant, ajunt; multo verius de ſpirituali per Chriſtum accipi debere. Nil autem obſtat, licet majus beneficium fuerit prima liberatio Ægyptiaca, quam Babylonica, hanc ob novitatem in cauſſa fuiſſe, ut prior ſaltem ad tempus, oblivioni traderetur, omniſque lætitia & gratulatio circa illam occuparetur. Non facile concedo duriorem ſervitutem in Chaldæa fuiſſe, quam in Ægypto: aut majus beneficium de hac liberari, quam ab illa u. Duravit Ægyptica minimum 215. annis: multa in ea edita miracula & portenta; exiit inde populus liber à jugo plurim gentium; in memoriam ejus inductum à Deo ipſo feſtum perpetuum omnium maximum, quod hodieque ab Hebræis celebratur. Liberatio de terra Aquilonis eſt de poteſtate tenebrarum, & principis earum, qui eſt diabolus, de captivitate & ſervitute peccati, mortis, inferni, &c.

a ſerm. 2. in ſt Apoſtoli Rom. 14. Regnum Dei non eſt eſca & potus. — b Gal. 4. 26. — c pſ. 136. 6. — d pſ. 45. 5. — e Galat. 3. 1 — f Eſa. 61. 1. — g Rom. 7. 23 — h 2. Cor. 10. 5 — i 1. contra Ruffin. — K Rom. 8. 23 — l 1. Cor. 5. 2. 4 — m Eſa. 49. 24 25. — Peccati captivus aliis omnibus captivis crudelius tractatur. — n Rom. 6. 21 — Captivitatis ſpiritualis exaggeratio. — o Dan. 3. 26 & ſeqq. 1. 51 & ſeqq. — p cap. ult. 33 38. — q 2. Machab. 6. 18. & ſeqq — r cap. 7. toto. — ſ Jer. 23. 7. 8. — Aegyptiaca quam Babylonicæ captivitati illuſtrior liberatio. — t cap. 16. 14: — u Sic tamen Maldonat.

In convertendo Dominus captivitatem Sion.) Hieron., *quum converterit Dominus, &c.* Apud Trevetum *quum converterit*: quomodo habet etiam Pſalterium vetus, & Auguſtinus, & idem Hieronymus alibi x. Proſper autem, *quum averteret*. Hylarius, *in convertendo & in avertendo, & dum avertit*. Non videtur ſatis apta conſtructio, *quum converterit, &c. facti ſumus ſicut conſolati*, jungendo cum futuro præteritum. Et apud Auguſtinum longe poſt in Commentario legitur, *quū converterit*, exprimitque id in præterito dici Negare non poſſumus, Interpretem noſtrum clarius dicturum fuiſſe, *quum converteret Dominus*: quod Hebr. & Grece dicitur cū propoſitione, בשוב יהוה *beſciuu Jehovah*, ἐν τῷ ἐπιστρέψαι κύριον; quod alius apud Chryſoſtomum Interpres Græcus tranſtulit, ὅταν ἐπιστρέψῃ κύριον, *quum converteret*, aut *redire faciet Dominus*. Potuiſſet idem interpres noſter in pſalmi 4. verbis primis reddere *in invocando ego*, quod vertit, *quum invocarem*, & eſt בקראי *beKorei*, ἐν τῷ ἐπικαλεῖσθαί με: ubi Hieronymus, *invocante me*, & ibidem y pro *quum clamavero ad eum*,) in clamando ego (בקראי *beKorei* ἐν τῷ κεκραγέναι με: & in 9. z *in convertendo inimicum meum retrorſum*, בשוב *beſciub*, ἐν τῷ ἀποστραφῆναι τὸν ἐχθρόν μου: ubi Hieronymus, *quū ceciderint inimici mei*. Symmachus, ἀνάστρα πέντων τῶν ἐχθρῶν *reverſis inimicis mei*: Eadem phraſis pſalmi 101. a, *in conveniendo populos in unum*: & 141. b *in deficiendo ex me ſpiritum meum*: in 113. c *In exitu Iſrael de Ægypto*, potuit verti, *in exeundo Iſrael*, ſive in nominativo caſu, ut hic, ſeu melius in accuſativo, *Iſraelem*. Chaldaice hoc loco, כד יתיב *chad jethiu*, *quando convertet*. Poſſet utcumq; ſuſpicio eſſe ab Interprete poſitum in accuſativo, *in convertendo Dominum*, vel *Domino* in ablativo; quamvis tunc melius dixiſſet, *in convertente Domino*, ſed nihil mutandum; quia melius eſt, ut reprehendant Grammatici, quā non intelligant populi, inquit Auguſtinus d: & obſervat e infirmiores eſſe, qui doctiores videri volentes, offenduntur barbariſmis aut ſolœciſmis: Ambroſius f vero ſcribens, nihil intereſſe *præſepæ* ne dicas, an *præſepium*; negat cum Demoſthene g, in hoc poſitas eſſe fortunas Greciæ, neſque negligere dicit verba debere ſpectare myſteria, quibus vincit ſermonis utilitas. Gregorius h indignum vehementer exiſtimat, ut verba cœleſtis oraculi reſtringantur ſub regulis Donati. Arnobius Africanus, librorū adverſus gentes Auctor, gentibus objicientibus obſitas barbariſmis & ſolęciſmis res noſtras, reſpondet i, puerilem; atque anguſti pectoris reprehenſionem eſſe: nihil officere, aut minus id, quod dicitur, verum eſſe, ſi in numero peccetur, aut caſu præpoſitione, participio, conjunctione; pompam iſtam ſermonis, & orationem miſtam per regulas concionibus, litibus, foro, judiciiſque ſervandam. Plura idem ille eadem de re: ſed pro inſtituto nos forſitam nimis hic multa. Denique *convertere captivitatē*, poteſt ſignificare colligere & congregare; quemadmodum gallina, vel avis alia, diſperſos pullos congregat ſub alas. Ad hunc modum; quando Arca olim deponebatur, & filii Iſrael circa eā caſtra

x in Eſa. c. 37: — y verſ. 4 — z verſ. 4 — a verſ. 23 — b verſ. 4. — c verſ. 1 — d in pſ. 138 — e 2. de doctr. 13 — f in Luc. 3 — g orat. pro Creſiph — h Prefat. in lib. moral. 1 cap. ult — Verba cœleſtis oraculi non reſtringēda ſunt ſub regulis Grammaticæ. — i lib. 1.